

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0552

Sabato 23.07.2022

## **Missione e Lettera Pontificia all'Inviato Speciale del Santo Padre alle celebrazioni della chiusura della "Peregrinación Europea de Jóvenes" (Santiago de Compostela, 3-7 agosto 2022)**

In data 4 giugno 2022, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. António Augusto dos Santos Marto, Vescovo emerito di Leiria-Fátima, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni di chiusura della *Peregrinación Europea de Jóvenes*, che si terrà a Santiago de Compostela nei giorni 3-7 agosto 2022, nel contesto dell'Anno Santo Compostelano.

La Missione Pontificia è composta dai seguenti ecclesiastici:

- 1) Rev.do Don Andrés Fernández Farto, Segretario della Provincia Ecclesiastica Compostelana e Professore dell'Istituto Teologico Compostelano;
- 2) Rev.do Don José Daniel Turnes Rey, Parroco della Parrocchia di Vimianzo e Docente di Religione.

Pubblichiamo di seguito la Lettera Pontificia all'Em.mo Inviato Speciale, Em.mo Card. António Augusto dos Santos Marto:

### **Lettera del Santo Padre**

Venerabili Fratri Nostro

ANTONIO AUGUSTO S.R.E. Cardinali DOS SANTOS MARTO

Episcopo emerito Leiriensi – Fatimensi

Novellam progeniem inspicientes dilectissimam eiusdemque amantissimo capti studio, omni Apostolicae Nostrae sollicitudinis labore supremo officio pro huius posteritatis bono pacis doni comparandi consulere sentimus, supplices deprecantes, ut qui per Unigenitum suum eam hominibus largiri voluit et optatam tranquillitatem nostris concedat temporibus et unam in concordia et iustitia constituamus familiam ac fraterna

semper uniamur caritate, discipula Christi summopere intercedente, pacis alumna, quae cum Apostolis in oratione perseverans (cfr *Act* 1, 14) promissum Patris Spiritum unitatis, caritatis et gaudii praestolatur (cfr *Collectio Missarum BMV*, 45: *BMV Regina pacis*, collecta et praefatio).

Quae ex corde his praecipuis diebus sperantes, valde laetamur de exeunte Peregrinatione Europaea Iuvenum a die III ad diem VII mensis Augusti huius Anni Sancti Compostellani celebranda, participantium praeaudandae sollertiae ad Deum devotas exposcentes preces, cuius Filius, nostrae consulens saluti, sanguine suo universa pacificare complacuit (cfr *Col* 1, 20).

Tantum ergo recolentes occasionem, ut inter sollemnia perfrui possent christifideles praesentia ac verbo alicuius Eminentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat Nostramque erga istum iuvenum concursum dilectissimum dilectionem manifestet, Venerabilis Fratris Iuliani Barrio Barrio, Archiepiscopi Compostellani, humanissimae petitioni concedentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, mentem Nostram vertimus, qui, nobilissimae terrae Lusitaniae praestantissimus filius, praecipuam Sanctuariorum actuositatem atque pastorale opus comperis, ut hodie peraptus videaris ad hanc legationem obeundam. Idcirco, hisce Litteris Te Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad sollemnia, quae antefatis diebus Compostellae agentur ad exeuntem supradictam Iuvenum Peregrinationem exornandam.

Libenter tibi potestatem facimus, dum celebrationibus praesidebis, illum coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut alumni fiant pacis ac verbi et opere eorum testimonio populi, qui ambulant in tenebris, videant lucem, gaudeant exultatione et laetitia, laetentur consilio Illius, qui regna confirmat et corroborat in iudicio et iustitia amodo et in sempiternum (cfr *Is* 9, 1-2.5-6). Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universo Iuvenum coetui ibi congregato.

Dum tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem impertimus omnibus, qui celebrationi intererunt, transmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut hic conventus fidelium, hanc laetitiae occasionem affectu sedulo celebrans, quod recordatione percurrit semper teneat in opere.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XV mensis Iulii, anno Domini MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.*

FRANCISCUS

[01135-LA.01] [Testo originale: Latino]

---